



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. V. Quid debeat restitui pro adulterio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

etiam si fictè contraxerit: qui tenebatur ex iustitia verè contrahere; cum alioqui omnia humana commercia fraudibus paterent. Et id quidem verum est, etiamsi stuprator religionem voluisset, *Less. lib. 2. c. 10. d. 3. & 4. Trul. d. 3.*

V. Non tamen tepetur fictus promissor eam ducere, casu quo. 1. Is puellam valdè notabiliter conditionè excederet, vel verbis usus esset fictionem facilè indicantibus. 2. Si ipsa conscia esset prædicti voti; quia tunc ipsa contraxisset mala fide. 3. Si ipse putavit esse virginem, cum tamen non esset. 4. Si ex matrimonio grave damnum, aut scandalum timeretur. 5. Si ipse jam sacris initiatus est, aut alteri matrimonio copulatus: tunc enim his casibus solum teneretur curare, ut æquè commodè nubat, modo ante dicto, dando scilicet dotem, vel aliter, *vid. Sanch. 1. de matr. di. 10. lib. 1. Trul. l. 7. ca. 9. dub. 3.*

ARTICULUS V.

Quid debeat restitui pro adulterio?

Resp. Cum ex adulterio damnificari possint conjux alter, & proles legitimæ, circa sustentationem; hæreditatem, &c. patet, quod uterque adulterans, nata eis prole debeant, cum id damnum causent, eatenus restituere, quatenus possunt sine detrimento altioris boni, & causatione majoris mali. *Est communis. Laym. l. 3. t. 3. p. 1. c. 14. Unde resolves.*

I. Quod attinet ad ipsam adulteram, ordinariè non tenetur prodere, quod proles ejus spuria sit: nam & viro suo tristitiam, & sui odium, & discordias

diarum domesticas crearet: ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunæ merito cedunt. Accedit, quod proles matri non teneatur credere se esse illegitimam, *Fill. t. 1. c. 32. q. 222.*

II. Debet tamen si potest, aliis industriis damnum compensare, v. gr. 1. diligentius administrando rem familiarem. 2. de cultu corporis detrahendo 3. si habet bona propria, plus legitimis, quam spurio relinquendo. 4. cum inducendo, ut relicta hæreditate vel ejus parte, amplectatur statum Ecclesiasticum vel Religiosum, si idoneus sit, &c. *Trul. l. c. d. 4.*

III. Quod attinet ad ipsum adulterum spurii patrem, etiam ipse sæpè excusatur, vel in toto, vel ex parte; sive quia damnum ab adultera compensatum fuit, vel compensandum creditur; sive quia restitutio non potest fieri sine periculo vitæ, dispendio famæ, turbatione & discordiis familiarum; sive quia non est certus filium esse suum. *v. Lessl. 2. c. 10, d. 6. Bon. de matr. q. 4. p. 15. Trul. l. 7. c. 8. d. 7.*

ARTICULUS. VI.

Quid debeat restitui pro fama & bonis spiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione à Religione?

Resp. I. Juxta dicta, si restitui non possunt bona ablata ex bonis ejusdem ordinis, non est obligatio faciendi ex bonis diversi ordinis. *Vnde resolves.*

M 3

I. Pro